

III.

NEOVIDENSIS

Nro 24. (*Neovidensis* Nro 47.)

---

Secretum litterarum commercium vivos  
inter ac mortuos.

COMITI VALLIS

*Caesareo-Regio Campi Mareschallo.*

Ex mundo superiore.

---

Elysium -- Meum. -- Die Veneris 22 Junii 1804. (Neov. 8 Junii.)

---

Statum Monarchiæ Austriacæ, quo etiam trans stygem delectaris, non exaggerabo, quod multis cavillatoribus proprium est. Hanc in rem mihi inserviunt commentarii Politici, ex quibus tibi summam rerum transpono, non ut te doceam, sed ut tibi, & omnibus fidelibus Austriacis præsentem status imaginem depingam, unaque redarguam incredulos. Vera Principia prosunt Reipublicæ, ejusque membris, ingenerant fiduciam, & promovent bonum commune. Primum exponam commercium Austriacum, hoc enim modo præcipua libido est, qua tamen multi non potiuntur.

Negotiatio incipit florere in ditionibus Austriacis; non imminuit amplius, uti olim

numericum Capitale. Secundum Demianum comparate ad exteros jacturam patitur numeratæ pecuniæ. Hic statista computat annum valorem importatarum mercium ad 20 milliones floren. exportatarum autem ad 13 milliones, sed simul fatetur, ob defectum rite confectarum tabellarum commercialium non posse genuinam mercaturæ proportionem erui. Alii Statistæ tales ducunt calculos, ut ex aliis Provinciis in vectæ merces nequeant 13 millionibus floren. æstimari.

Novissima æstimatio commercii Austriaci multum differt a Demiana. Juxta hanc vectarum mercinum quæstus efficit annuos 21 milliones floren. Pro quibus invehuntur ex peregrinis regnis merces pro  $22\frac{1}{2}$  millionibus floren. Hæc apparens importationis differentia per id exæquatur, quod ex importatis mercibus iterum aliæ elaboratæ in summa circiter  $2\frac{1}{2}$  millionum floren. ad exteras provincias promoveantur. Hac ratione status Austriacus quotannis ferme millionem lucraretur, dum secundum prius allatas rationes 7 milliones amittendi essent. Hinc apparet priorem illum calculum erroneis superstructum esse observationibus; nam generatim industria quæstus in Provinciis Austriacis his ultimis annis ingentia cepit incrementa.

Probat hoc præ cæteris nimium quantum aucta Tergestini portus navigatio, in quem unico mense Octobri intrarunt 245 naves. Ex eo, quod tam copiosæ naves

anni tempestate, quæ navigationi non favet,  
 appulerint, licet concludere, eo majorem  
 earum numerum esse mensibus æstivis, se-  
 dulitatemque mercatoriam latissime patere.  
 Cum ex hoc portu multæ transmittantur mer-  
 ces, totus valor omnium in- & exportata-  
 rum rerum quotannis æquat propemodum 15  
 millones floren. Ex neo acquisito emporio  
 Venetiarum, portubusque Dalmatinis amplis-  
 sima spes affulget, ut commercium Austri-  
 acum adhuc magis amplificetur; aperiunt  
 enim novas vias evehendi producta dome-  
 stica, quorum venditio proptera potissimum  
 adhæsit, quod defuerit commoda cum aliis  
 nationibus communicatio. Majoris, & mino-  
 ris molis naves, quæ modo littora Austriaca  
 legere solent, numerantur 14000, e quibus  
 2400 nationalia sunt navigia. Et tamen au-  
 ctor hujus scripti approbat judicium cujusdam  
 noti in Austria Scriptoris, qui asserit: Tam-  
 etsi externum Austriæ commercium funda-  
 mento fere immutabili innitatur, quod meris  
 domesticis productis distrahendis se occupet,  
 nunquam tamen futurum statum Austriacum  
 vere commerciale Regnum, uti est Magna  
 Britannia, quod, si bonam publicum ama-  
 mus, optandum est.

Siquidem de publicis hujus Monarchiæ  
 redditibus pauca certa documenta præsto sint,  
 judico sequentem conscriptionem præcipua-  
 rum ejus Provinciæ Statistæ gratissimam  
 fore: Hungaria infert annuos 18 millones  
 florenorum, Gallicia, & Lodomeria 3 mil-

liones 500,000 fl. Transsilvania 2 million, 300,000 fl. Littorale cum limitibus 400,000 fl. Croatia 200,000 fl. Bukovina 150,000 fl. Slavonia 100,000 fl. In Summa 24 milliones 650,000 fl. Hæc tamen vix est quarta pars universorum reddituum publicorum. Omnes recentiores Statisticæ periti defigunt eos in 90 millionibus. Novissimum autem genealogicum Statuum Enchiridion elevat ad 93 milliones, 193,000 fl. Denique Demianus ad 1000 milliones. Huic postremo Scriptori vel ideo habendam esse fidem putat præsentis elucubrationis author, quod Monarchiæ Austriacæ vi pacis Lunevillensis facta sit accessio in medio quarto millione annuorum proventuum. Ex amissis provinciis una cum oneroso Belgio redibant 11 milliones, & medius, in compensationem autem datæ singulis annis augment ærarium minimum 15 millionibus, & promittunt uberiores adhuc redditus pro expungendis publicis debitis, quæ jam a. 1792 in 500 millionibus constiterunt, dicunturque ultimo bello ad 600 milliones accrevisse.

In statistica adumbratione non est integrum litterarium Regni statum silentio præterire; eapropter adjungitur mentio eorum, qui per promotionem scientiarum suam in obtinendo sine Civitatis navant operam. Hæc Monarchia numerat modo 900 Scriptores, & amplius, ex quibus tres circiter quartæ videlicet 720 Germani sunt, reliqui aliarum nationum viri.

Ad universalem, & accuratam statisti-  
cam Monarchiæ Austriacæ cognitionem per-  
tinet etiam historico-politica consideratio,  
quæ in tam diversis regionibus variam im-  
perii formam examinet.

Ab omnibus magnis imperiis, quæ ali-  
quando celebritatem nominis assecuta sunt,  
Monarchia Austriaca se peculiariter distin-  
guit. Illa una est, quæ, si aliqua minora  
territoria demas, nullam Provinciam solo jure  
armorum tenet. Sola Bukovina cum non-  
nullis turcicis agris eidem jure belli obtigit,  
sed etiam ista proprie tantum recuperationes  
erant. Hunc in modum Hungaricæ Provin-  
ciæ, quæ olim avulsæ sunt, coaluerunt. Di-  
visio Poloniæ, uti notum est, non accedit  
expugnatione, sed pacifica occupatione.

Conjunctio tot Provinciarum domui Au-  
striacæ subjectarum provenit ex nuptiis, ex  
jure successionis, ex cognationibus, partim  
etiam ex addictis fisco feudis, quo jure olim  
Imperatores gaudebant. Origo Dominatio-  
nis Austriacæ innitebatur non legitimæ Ot-  
tocari possessioni, ideo Rudolphus cum con-  
sensu Electorum contulit Provincias Austri-  
acas jure fiduciario suis filiis, Alberto, &  
Rudolpho. Provinciæ Belgii devolutæ sunt  
ad domum Austriacam per matrimonium  
Archiducis Maximiliani cum Maria Burgundi-  
ca initum. Eodem modo connubium Ferdi-  
nandi I. cum Principe Hungaræ Anna viam  
stravit ad Hungaricum, & Bohemicum thro-  
num. Postquam enim Ludovicus frater uxore

ris Ferdinandi post cladem Mohacsianam infeliciter occubisset, a. 1527 Rex Bohemiæ creatus est, & Hungariæ, & tametsi in Hungaria bellum exarserit, justa tamen erant ejus arma vel propterea, quod adversarii turcas in auxilium advocaverint.

Si Domus Austriaca in omnium ditiorum, ad quas indubitatum jus successionis habet, possessione esset, superaret magnitudine ipsam Russiam. Late patens jus successionis in Hispaniam, quod primum oppugnabatur, dein restringebatur, postea imminuebatur, amisso Belgio, & Ducatu Mediolanensi penitus extinctum est. Lusatia, maxima pars Silesiæ, Ducatus Rhenanus, Landgraviatus Alsatiæ, Sundgovia, Lotharingia, Præfectura Hagenoviæ, Possessiones, & jura in Helvetia perierunt. Mantuam, illam Italiæ clavim, alter habet, & non nisi pars Reipublicæ Venetæ subest modo potestati Austriacæ in Italia.

Monarchia tamen Austriaca inter Russiam, & Galliam tanquam tertia potentia primi Ordinis in Europa resplendet, & propter conjunctas vires plus modo potest, quam, dum Belgium, & Mediolanum tenuisset.

Duabus diebus prius, quam immortalis Maria Theresia e vivis excessisset, longam habuit orationem ad successorem suum, filium Josephum II. in qua (*est expressio ipsius Josephi II*) „secundum mentem Montesquieui diversarum illarum nationum characterem de-

pinxit, quibus dominaturus est, illique majorem in modum commendavit, ut quamlibet secundum proprios mores, indolem, consuetudines, privilegia, & constitutionem reget, ut non eodem pede metiretur omnes, vel eidem imperii formæ subjicere conaretur. "Acutum Magnæ Dominæ ingenium præ-sagiverat, quas foverit Josephus designationes. Volebat ille magna sua perspicacia universas vires, quæ in Monarchia Austriaca in diversas partes diffunduntur, conjungere. Leopoldus sapienti indulgentia intra duos regiminis annos reduxit concordiam. Franciscus II. vix auspicatus est imperium, cum illi Gallici tunc regnantes Democratæ indicerent bellum, quo gravius, magisque variabile nulla ætas vidit; In his tamen rerum adjunctis omnes Monarchiæ Austriacæ nationes se armarunt ad conservandum in domo Austriaca thronum. Quid secutum sit, latet neminem. Jam supra demonstratum est, Domum Austriacam, licet jacturam fecerit provinciarum, in vero tamen statistico sensu proprie nihil amisisse de potentia, quin potius multum lucratam esse ex conjunctione virium. Regimen Francisci II. novam facit, & memorabilem epocham in politica Domus Austriacæ historia.

Tredecim nationes, omnesque diversissimi status, quos Franciscus II. qua Pater Patriæ gubernat, ea utuntur imperii forma, quæ eorum characteri, moribus, consuetudinibus, pactis, privilegiis accommodata est. Quod

mutationem accepit, id exegerunt circumstantiæ, atque status, & ordines confirmarunt. Omnes Regiones habent suos ordines provinciales, ipsa etiam non pridem acquisita Gallicia, prout justum, & æquum videbatur. Diversissimi obtinent imperandi modi in Austria, Hungaria, Bohemia, Moravia, in superioris Italiæ Provinciis, in Gallicia, Transilvania, Dalmatia, Croatia, attamen ubique summa regnat cum supremo capite unitas.

In hoc imperii mysterio, in varietatis unione sita est sublimis Austriæ Politica, quam in suo genere unam non facile alii assequuntur. Hinc tot prava judicia, & accusationes de tarditate, & longa deliberatione Aulæ Viennensis. Plura possemus dicere, si tempus, spatium, & natura hujus brevis delineationis admitteret. Adumbratio Austriæ suppeditat notionem principalem, quæ venerationis plena exhibet lineamenta magni statistici Atlantis Monarchiæ Austriacæ, quem quidem limites politicarum ephemeridum non capiunt, aliud tamen opus uberius explicare posset.

Concludimus opellam nostram illa historico-politica observatione: Domus Austriaca est Pater familias multarum per matrimonium acquisitarum, & aliarum adoptivarum prolium ex diversis nationibus, quæ omnes secundum earum indolem paterne reguntur.